

at Mariæ promisimus, ne cyathum quidem unum a nobis unquam hauriendum. Ita vindicamus priora flagitia, cum nos ignari veræ pietatis ac religionis vino ingurgitare solebamus; nunc alios mores, alios animos induimus. Vidi ego ex illis aliquos domi Gubernatoris et proregis Canadensis; vini scyphum ab eo porrectum penitus recusare, neque ante illum sumere, quām Societatis Sacerdos ut sumerent præcipiteret. Nec ita pridem Gallus mercator hunc mecum sermonem habebat. Non posfumus, mi pater, Lauretanorum Huronum temperantiam et constantiam non admirari. Nuper in eorum turmam incidimus, et extractis pro more tuguriis omnes eodem in loco pernoctavimus. Adduci nunquam a nobis potuere ut vini guttam primoribus labris gustarent, contenti pane ac pauxillo tabaci, quod libenter ipsis erogavimus.

Ceterum hæc tam exacta, tam abstinentis [potionis ebriosæ] Lauretanorum pietas; nequaquam bellicosos, quibus barbari vulgo pollent, Spiritus infringit: modum et certos duntaxat ardori Martio fines ponit. Quamobrem nunquam sumunt arma, nisi annuente Gubernatore: ubi dimicandum, reliquis popularibus exemplo, ac pudori sœpe sunt. Itaque cum expugnaretur Anglorum quidam pagus, instaretque turma equitum ad propugnandum pagum Submisfa, Soli Galli cum Lauretanis et Abnaquiis hostilem impetum Sustinuerunt repuleruntque, ceteris barbaris in fugam turpiter effusis. Nec mirum, inquietabant nostri